

dum Regio vendicare. Quod quidem jus una-
cum Regno per manus traditum a Majoribus ac-
cepisti; quorum semper insignis fuit & in eo
Mysterio celebrando magnificentia, & in ejus
honore amplificando incredibile studium, atque
voluntas. Ut antiquiores præteream, Philippi
quatuor sæculorum omnium prædicatione dignif-
simi, quorum ad Te uti sanguinis, ac Regni, ita
inlyti Nominis pervenit hæreditas, omni ope
contenderunt, ut Dei Matrem sine labe conce-
ptam ad gloriæ fastigium promoverent. Sed su-
pra cæteros eminent Philippus Quartus, qui le-
gationibus omnino duodecim ad Romanos Pon-
tifices institutis hoc negotium tractavit, & oran-
do, instandoque illud tandem evicit, ut Ale-
xander Septimus diplomate edito objectum, quod
vocant, Ecclesiastici cultus designaret, adeoque
Mysterium Conceptionis innoxia maximo in lu-
mine collocaret. In Gallia vero Christianissimi
Reges Majores Tui non facile est dictu quibus
illud honoribus extulerunt. Ludovicus præsertim
Decimusquartus avus Tuus, cognomine Magnus,
Clementem Nonum exoravit, ut idem in tem-
plis Gallici imperii dies octo quotannis celebra-
ri permetteret. Cujus propterea singularem pie-
tatem Pontifex ipse immortalis præconio com-
mendavit. Jurè itaque Regio hoc Tibi potes, de-
besque